





QH. 282



J. J.  
DISSERTATIO I.  
De  
**FAMILIIS NOBILIUM**  
IN  
**PRÆFECTURA ALTENBURGENSI EMORTUIS,**  
qva ad  
**STRENARUM DEDICATIONEM**  
in Schola Altenburgensi  
*VI. KL. Febr. A. clō loc LXXIX.*  
habendam  
**STRENARUM FAUTORES**  
officiosè invitāt  
**M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,**  
Rector.

---

Altenburgi, Typis Richterianis.





L. B.

S.



VI FAMILIAS cum amoenissi-  
mo multisq; arboribus confito *horto* con-  
feret, à scopo, meo quidē iudicio aberraf-  
se non videtur; Sicut enim *hortus*, arbo-  
ribus adultis adurens frigus, cariem & se-  
curim expertis, & junioribus convulsis aut eradicatis,  
breui temporis spatio prato sic assimilatur, ut nunquam  
antea arbores ibi extitisse, per omnia sacra iures: ita *fami-*  
*lia*, quamprimum senes effecti corporis exuvias depo-  
nunt, & viri juvenesq; mascula prole orbatu abripiuntur,  
exiguo annorum intervallo à stirpe deficiunt, & quidem  
sæpiusculo fato tam invido, ut tumulus, qui corpus con-  
textit, nomen etiam & memoriam omnem obruat. Ex-  
emplis hæc fient clariora, quæ tamen à *Principum* famili-  
is non petam, cum eadem Th. Zvvingerus vol. 3. Theatr.  
l. 2. f. 660. Johannes Bisselius, è Societate Jesu, in *ruinis suis*  
*Illustribus* & Caspar Klockius, Cancellarius Comitum  
Stolbergensium, eleganti de *Aerariol* libro, summo studio  
collecta nobis dederint: neque à familiis *inferioris Saxo-*  
*nia*, quod Virum in Historia versatissimum Hermannum  
Hamelmannum, supremum sacrorum Oldenburgensi-  
um Antistitem, libris duobus de *vetustis titulis Princi-*  
*pum, Comitum atq; Illustrum Familiarum in inferiori*

Sa-

*Saxonia*, eo labore jam probè defunctum sciam: multo minus à *Bavarorum & Alsatorum* familiis, quarum seriem par nobile Historicorum Wiguleus Hundius & Bernardus Herzog/ ille in *Geneal. Bavarica*, hic in *Chronici Alsatici part. II.* non sine stupendæ industriæ laude consignavit. At, unde tandem desumam? Familiae, quas *ager Altenburgensis* per multa secula florentes, nunc flaccidas, vidit, satis exemplorum mihi suggerent. Vidit enim prosapiam *Comitum Plissensium*, opibus & auctoritate pollentem in *Brunone*, cujus filius *Ortvvinus* apri ictu in venatione perierat, circa A. 1130. extingvi, vel in *Rathbodo*, à quo Fridericus Barbarossa Comitatum Plissensem pretio 500. Marcarum dicitur emisse. Vidit progeniem *Burggravorum Altenburgensium* in *Theodorico*, Ordinis Teutonici per Borussia Magistro, Marienburgi nocte S. Viti A. 1341. placidè demortuo, penitus concidere. Vidit familiam *Burggravorum Starckenbergensium* A. 1430. interire. Vidit quoque multas *Nobilium* Familias emortuas, quarum memoria conservetur pariter & refricetur, rei interest Historicæ & præclara eorum in patriam merita jure quodam suo exigunt. Proinde L. B. vitio mihi non dabis, quod *Familiarum Nobilium* memoriam memoriæ jam viventium, & si qui futuri, posterorum commendare, ego de Schola homo audeam. Neque ausus fuissim, nisi amore Historiam patriam vel summis, quod dicitur, labris degustandi incitarer, & indignatione non adeo reprehendenda moverer, tot Familiarum Nobilium memoriam cum iis esse sepultam & abjectam.

Qvo vero totius negotii tractandi rationem intelligas, in recensendis illis familiis ordinem Alphabeticum sum secuturus, de venia tua, sicubi lapsus fuero, & facilitate communicandi, quæ proposito meo conducere videbuntur, certam spem concipiens, quæ ne excidam, efficies.

Agmen in Familiis Nobilibus ducant BAHNII, Toparchæ in *Bahna* / pago ad Sylvam cognominem sito, de quibus Vir Historiæ Patriæ scientissimus, M. Johannes *Tauchwitz* / Pastor quondam Monstabiensis & Ephoriæ Altenburgensis Adjunctus in Collectaneis MSSis refert, quod eorum liberalitate *Capella Bahna* quondam visa & superiori seculo destructa surrexerit & sylva adjacens Monasterio B. Virginis in Monte, cui Capella laudata quoad sacra subjecta, accesserit.

BESCHWITZII sedem suam in vico *Beschwitz* / ad Ecclesiam Trebanam spectante, olim habuerunt, ex quibus *Johannem, Ottonem & Christophorum* in literis Investituræ me legisse memini.

BOCKAVII pagum *Bockau* / Sylvæ *Leina* vicinum inhabitant. Quos præter *Heinricum & Johannem* fratres nomen, jam non succurrunt. Hi bona quædam Kurbitzii sita *Hermann*o, Præposito Cœnobii B. Virginis in Monte, consentiente Feudi Domino, *Ottone* II. Burggravio Leisnicensi & hujus filio *Alberto* vendiderunt, ut literæ Penicii feria tertia post Judica A. 1361, datæ pluribus docent.

BRESENIII pagum *Bresen* / qui ad Ecclesiam Tecquicensis hodie pertinet, possidebant. Aquila in duas partes,

tes,

tes, quarum rubra altera, altera alba, divisa in insigni ute-  
bantur. Unius solum ex *Bresenii* mentionem injicere  
possum, nempe *Apollonii*, cujus ossa ædes Fratrum Scho-  
læ nostræ contigua asservat, ceu ex tabula lateri meridio-  
nali sub ambonio affixa & sequentibus verbis conspicua  
patet: 1700. Jar ist vorstorben der Erbar und Feste Apel  
von Bresen an einer Mitwochenach des heiling war Leich-  
nams/das Gott Gnade.

CROBETINII quod prædium tenuerint, nondum  
mihi liquet. *Titzmannus* in literis Friderici Schonbur-  
gii, *Wenceslai*, Bohemiæ Regis, in terra Plissensi Judicis  
Provincialis, Altenburgi A. 1300. in nativitate Johannis  
Baptistæ scriptis, quibus exstructionem Molendini in infe-  
riori Lödavia, cura Monasterii Buchaviensis, Ordinis Ci-  
stertiensium, susceptam confirmat, testis cum Henrico  
& Rudolpho de *Stangen*/in *Yödlau* allegatur, *militaris*  
*viri* titulo insignitus.

DOBITSCHIOS pagi ejusdem nominis Dominos  
nunc attingo. *Casparem* diploma *Friderici Sapientis*,  
Electoris Saxoniae, Torgaviæ die Donati A. 1516. confe-  
ctum præsentem fuisse testatur, cum spatium unius millia-  
ris à portis Altenburgensibus ad pagos circumcirca jacen-  
tes decempeda metiendum. *Christophorus*, Casparis  
procul dubio filius, uxorem duxit filiam *Johannis Scha-*  
*deritzii*, Dynastæ in *Romschütz*/ ex qua trium filiorum  
*Sittichii*, *Wilibaldi* & *Ernesti* parens factus est. *Henrici*  
mentio fit in controversia rusticorum Posaviensium, quæ  
cum caupone Starckenbergensi A. 1537, ipsis intercessit.

DOLTZIGIORUM Familia in pago cognomine  
Döltzig Ecclesiæ Monstabianæ, hic quoque ut memore-  
tur, dignitas *Johannis* me monet; Is enim Equitum au-  
ratorum ordini adscriptus Capitaneum egit Salfelden-  
sem, & An. 1546. Cygneam jussu Electoris Joh. Friderici,  
adiit, ut cum *Henrico* de *Planitz* urbem contra Bohe-  
morum impetum defenderet: quanto vero successu, e-  
ventus docuit. Sanè Zvvicavienses causam deditio-  
*Mauritio*, Duci Saxoniae, factæ ipsi tribuunt, ut ex *Tobiae*  
*Schmidii* Chronico Zvvicav. sect. II. c. I. p. 277. videre li-  
cet. Apponi hîc meretur, quod appropinquante cum ex-  
ercitu *Mauritio* à Senatu interrogatus, quo medio Cy-  
gnea queat conservari, coelum digito ostenderit, & divi-  
num auxilium expectandum esse indicaverit, teste  
*Schmidio* l. c. p. 278.

KE RTSCHITZIIS locus quoque inter Familias  
Nobiles tribuendus est: nomen habent à pago *Kertschitz*/  
qui hodiè *Bernsteiniorum*. *Georgium*, Dominum prædio-  
rum in *Gößnitz* & *Podelwitz*/ literæ *Alberti* à *Sindenu*/  
die Dominica post *Lucæ* 1519. exaratae nominant, in qui-  
bus prædia adducta Capitulo S. *Georgii* acceptis 1500. au-  
reis *Rhenanis* tradidit. *Catharina*, *Georgii*, nî fallor, filia  
Abbatissa *Cœnobii* *Nimmitiensis*, superstitioni Pontifi-  
ciæ addictissima eo vixit tempore, quò novem *Moniales*  
ex nobili stemmate prognatae opera *Leonhardi* *Koppe-*  
*nii*, *Civis* *Torgaviensis* *Claustrum* *Nimmitiense* exierunt,  
quod factum A. 1523. in *Hebdomade* magna, ut *Megalan-*  
*der Lutherus* in *Epistola* ad *Koppenium* testatur, quæ  
T. II.



T. II. Altenb. f. 313. a. legitur. Huic *Annam* subjiciam *Liebenhainii* uxorem, quæ *Podelvvitzii* A. 1532. vitæ finem fecit.

Nobiles de *Rnau*/Hæreditarii in pago *Rnau*/ à quibus ad *Stangios* devenit, immortalem consecuti sunt laudem, quod templo B. Virginis in Monte à *Friderico Barbarossa* & ejus filio *Heinrico VI.* condito *Capellam* adjecerint, ut in ea cadavera suorum reponerent, & *Missæ* in *ara* adhuc usum exstructa haberentur, oblatis quotannis 60. sexagenis. Nec minorem sibi pepererunt laudem in erigendo templo *Trebano*, cujus fundamenta A. 1461. jacta feruntur. Campana major ipsorum exhibet insignia. *Bernhardus* Trebenæ & *Nicolaus* Haselbaci Dynastæ *Alberto*, Duci Saxonæ, qui militibus *Rolandus* & *Innocentio VIII.* dextera manus Imperii audiebat, in *Belgium* A. 1487. cum exercitu moventi operam suam, missis duobus curribus nervo bellico instructis, detulerunt. *Nicolaus* adhuc A. 1515. superstes fuit. Obiit autem *Bornæ* ex vulnere, quod in itinere ex hasta suram penetrante acceperat. De *Melchiore* quæ scribam, non habeo, nisi quod à *Vito* de *Ritscher*/Steinbaci prope *Bornam* die *Bartholomæi* A. 1512. gladio sit contossus. De *Johanne* hoc tantum animadverti, quod pratum *Johannis Trilleri* à domo *Teutonica* die *Jovis* post *Tiburtii* A. 1513, in feudum acceperit.

Reliquas Nobilium familias alio, si Deo visum, daturus sum tempore; Plures enim mihi addere non licet, partim ob pagellarum angustiam, partim ob conatum  
quo-

quorundam Lycei nostri Alumnorum, qui à veteri in-  
strenis dedicandis consuetudine vel latum quidem un-  
guem sub hujus anni auspiciis recedere dubitarunt, &  
cum in finem Oratiunculas conscripserunt, quibus stre-  
nas ex Pectorali Aaronis petitas offerent. Et quidem

JOHANNES Sanchhändel / Altkirchensis, Serenissi-  
mo Patriæ Patri FRIDERICO & Serenitatis ejus Celsis-  
simis FRATRIBUS, *aspicere* humilimè exhibebit.

II. SALOMON Hauschild / Schmollensis, Illustri  
Regimini *Turcoideum* offeret.

III. JOH. FRIDERICUS Viehweg / Altenb. Am-  
plissimo Scholarcharum Collegio *Lyncurium* dedicabit.

IV. SALOMON AUGUSTUS Glauder / Altenb.  
Pl. Rever. Ministerio *Onychem* destinabit.

V. JOH. FRIDERICUS Freiestleben / Orlamunda-  
Thuringus, Scholæ Ministris *Amethestum*, &

VI. JOHANNES Heinigke / Trebanus, *Achaten*  
Achatibus suis tradent.

His autem præludet JOH. DAVID Poetsch / Gösni-  
censis, aures Auditorum benevolas suis Symmachis pa-  
raturus & *Gemmas* itrenæ loco præsentibus daturus. Pa-  
ria quoque ad strenarum officium faciet CHRISTIANUS  
WILHELMI, Rochl. *Pectorale Aaronis*, cum debita pro  
benevolo accessu gratiarum actione ipsis offerendo.

Quibus igitur per negotia concatenata aut adver-  
sam valetudinem licet, hora II. pomer. diei crastini fre-  
quentes in Classis Primæ Auditorio compareant, & sua in-  
accedendo atque audiendo facilitate testentur, quod a

Exercitiis Scholasticis, quibus Juventus exerceri solet,  
non abhorreant. P.P. Altenb. VII. KL. Febr.

A. C. clc lxxix.

eteri in  
m un-  
unt, &  
us stre-  
dem  
renissi-  
Celsis-  
t.  
Illustri  
b. Am-  
licabit,  
Altenb.  
munda-  
chaten  
Göfni  
chis pa-  
rus. Pa-  
IANUS  
pita pro-  
do,  
it adver-  
tini fre-  
& sua i-  
quod a-  
ri solet,  
r.

ULB Halle 3  
004 967 674  


V. 17







curim expertis  
 brevi tempor  
 antea arbores  
 lia, qvampri  
 nunt, & viri juv  
 exiguo annor  
 sæpiuscule fat  
 textit, nomen e  
 emplis hæc fier  
 is non petam, c  
 l.2. f.660. Johar  
 Illustribus & C  
 Stolbergenfiu  
 collecta nobis  
 na, qv od Viru  
 Hamelmannu  
 um Antistitem  
 pum, Comitum



amoenissi  
 ito horto con  
 dicio aberraf  
 hortus, arbo  
 , cariem & se  
 ut eradicatis,  
 ut nunquam  
 res: ita fami  
 xuvias depo  
 abripiuntur,  
 nt, & quidem  
 i corpus con  
 obruat. Ex  
 cipum famili  
 vol. 3. Theatr.  
 in ruinis suis  
 us Comitum  
 immo studio  
 ferioris Saxo  
 Hermannum  
 denburgensi  
 tulus Princi  
 in inferiori  
 Sa-

